

circa fermentum a nobis confectum per Acolytos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per Parochius fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt Sacramenta: nec nos per Cæmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.

Verum inter rerum ecclesiasticarum, Eruditos quæstio emergit; an per fermentum Eucharistiæ intelligatur? Sunt etenim & qui negant, & sunt qui affirmant. Baronius negat ad annum 313. & vult per fermentum intelligi Eulogias. Alii vero affirmant, inter quos est Tournely de Sacramento Eucharistiæ artic. 5. concl. 3. in qua hæc habet: „ Negat Baronius ad annum Christi 313. contenditque simplices intelligi debere Eulogias, quæ, in signum mutæ communionis & charitatis ad absentes mittebantur. Verum opposita sententia probabilior nobis videtur 1. quia vox ipsa Consecrationis, qua utuntur laudati SS. Pontifices, verisimiliter Eucharistiæ designat. 2. id quoque innuere videtur ratio, quam subjicit Innocentius I. Quia, inquit, Sacramenta non sunt longius portanda. Verisimile autem est, ibi Sacramenti nomen in propria, & stricta significatione usurpari, quo sensu cap. 8. ejusdem Epistolæ appellat unctionem extremam, Sacramentum. 3. Quia etiam ante Innocentium I. obtinuisse consuetudinem mittendi ad absentes, & externos, Eucharistiæ, antea probavimus, ubi de asservatione Eucharistiæ, ex Litteris S. Irenæi ad Victorem Romanum, apud Eusebium L. 5. Hist. cap. 24. Propter quas rationes nos citato Tournely adharemus. Hic idem aliam quæstionem proponit, videlicet: An Presbyteri, ad quos die Dominica mittebatur Eucharistiæ, ex illa Missam celebraverint; An vero ipsi propriam consecraverint? Et ejusdem resolutionem apud eundem videndam remittimus. Objiciunt I. S. Thomas assert verba Gregorii Magni 3. part. quæst. 79. art. 4. quæ sunt: Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem, sed certe Ecclesia offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farina; Pars VIII.

Sed Gregorius Magnus seculo 6. florebat: ergo ante seculum 6. panis azymi usus in Ecclesia Romana erat. II. Leo IX. in Epist. ad Cæularium supponit, etiam ante seculum 7. fuisse in Ecclesia Latina azymi panis usum, his verbis: Ecce jam post mille, ac ferme viginti a Passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria Passionis ejusdem sit recolenda; quasi nihil ei contrulerit præsentia, conversatio, & diuturna institutio, qua clarificavit Deum mors pretiosa illius venerabilis Senis, cui specialiter Christus filius Dei vivi dixit: Beatus es Simon Bariona &c. Non ergo perpenderit quanta impudentia dicatur Patri, qui est in Cælis, abscondisse a Principe Apostolorum Petro cultum, si verum, visibilis Sacrificii &c. III. Photius inter multa, quæ objecit Latinæ Ecclesiæ, altum silentium observavit de panis azymi usu: etgo signum est, quod ejus tempore panis azymi usus in Ecclesia Latina non invaluerat. IV. Primus, qui objecit Ecclesiæ Latinæ panis azymi usum, fuit Michael Cæularius; sed hic multo tempore fuit post Photium: ergo ante Photii tempora panis azymi usus in Latina Ecclesia non vigeat.

Respondemus ad I. allata Gregorii Magni verba referri quidem a S. Thoma, tanquam Doctoris hujusce verba, sed re vera illius verba non esse, at esse verba Gregorii VII., qui seculo XI. florebat. Unde Jueninus ait: „ Sanctum Thomam referre quidem textum, de quo est quæstio, perinde ac si in Gregorii Magni registro legeretur; sed tanti Doctoris pace dixerim, ipsum tantum reperiri apud Gregorium VII., qui seculo XI. Ecclesiæ Romanæ præerat. „ Ad II. Idem Jueninus hæc reponit; „ Cæularium duo circa azyma objecisse, primum quod Judaismo faverent, secundum quod irrita esset eorum, consecratio: Utrunque Leo Papa IX. confutat, supponens Petrum azymo inter sacrificandum usum fuisse; quod quidem non inficiamur, cum apud nos certum sit, prioribus seculis Ecclesiam modo fermentatum, modo vero azyma adhibuisse. „

Ad III. dicitur, quod Photius cognovit rationabilem usum panis azymi, quem Ecclesia Latina faciebat, & ipsi igno-